

20 B 21, Kapsel (5) 6656



IO. AVG. NOESSELTII
 D I S P U T A T I O
 DE EO QUID SIT:
 DEVM CONDONARE HOMINIBVS
 PECCATA POENASQVE REMITTERE?
 ACADEMIAE HALENSIS NOMINE SCRIPTA.



H A L A E
 TYPIS IO. CHRISTIAN. HENDELII.
 M D C C X C I I.



Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through. Faintly visible words include "BIBLIOTHECA" and "MUSEI".



1. Saepe admonuerunt ii, qui Christianae religionis defensionem susceperunt: vt ab omni veritate, sic ab illa religione diligenter segreganda esse commenta, quae ab humana temeritate accessere; seque negarunt quidquam in iis, quae contra Christi doctrinam probabiliter dicta essent, reperisse, quod non potius ad illas accessiones, quam ad hanc ipsam pertinere videretur. Verissime illud quidem; nec, si huius doctrinae vel iniqui obreptatores vel inconsiderati defensores hanc admonitionem sequerentur, dubitamus, quin et illi se a laceffendo, et hi a temeraria defensione cuiusvis, quod huius religionis nomine fertur, cohibituri essent. Omnino, quo magis Christianam doctrinam reuocabimus ad pristinam, hoc est ab ipso Christo profectam, simplicitatem, diligenterque cauebimus, ne quidquam ad eam, vel optimo consilio, addatur eodemque nomine laudetur, nisi quod perspicue ac necessario et verbis, per vsum loquendi, contineatur, quibus eam Sacrae Scripturae tradiderint, et consentaneum sit ingenio moribusque pristinae illius aetatis, qua dicerentur illa et scriberentur: hoc puriorem certioemque tenebimus Iesu Christi disciplinam, eamque a contumeliis recte vindicabimus.

2. Peruagata haec quidem sunt multorumque trita sermonibus, nec tamen taedeat identidem repetisse, aut semper meminisse poenitet; ita saepe in Christi doctrina inuestiganda tradendaque negliguntur; nec facile incidas in aliquem eius locum, qui, accuratius ista statim examinatus, vel liberari ab incitiae temeritatisue humanae additamentis, vel ad veram Christi mentem magis conformari non possit. Quis locus magis est theologorum nostrorum studiis purgatus ac paene ita excussus, vt nihil nostrae curae relictum videatur, quam is, qui est de iustificatione siue condonatione peccatorum? nec tamen est nihil, quod a no-

4

stra quoque diligentia proficisci ad eum illustrandum possit, praefertim, cum illi veteres, hunc, tamquam caput et arcem doctrinae Christianae, contra peruersa Romanae Ecclesiae commenta defendentes, hoc uno fere consilio tractauerint, ut istas maculas detergerent, cetera, quae controuersis non essent obnoxia, praetermitterent. Cuius generis est ipsa res, de qua quaeritur in isto loco, hoc est ipsa *peccatorum condonatio*, quam usu venire solet vel, tamquam natura sua perspicuam, omnino non defini, vel declarari per poenarum remissionem. Quamquam illud nequaquam supervacaneum videri debet. Omnibus enim haec formula, qua Deus peccata hominibus condonare dicitur, ducta est ab hominibus, nec proprie cadit in Deum, qui nec obliuisci iniuriae potest, nec, per verissimam iustitiam, idem esse in peccantem, qui fuerit in probum memoremque officii sui; fit igitur huius definiendae negligentia, ut vel humana imbecillitas tribuat Deo, quae sint ab eius virtute aliena, vel ii, qui in inquirendo curiosi sint, incipiant ipsa de re dubitare, et vero etiam veritatem Christianam calumniando pervertere. Quod quam iniquum sit aut vanum, non prius intelligitur, nec mederi quisquam utriusque malo potest, quam inuestigatum cognitumque fuerit, utrum illa condonatio perperam sit de poenis sublatis accepta, an dubitationis causa in erroribus super natura variisque generibus poenarum quaerenda. Videbimus igitur, an isti rei, difficultatibus profecto non paruis impeditae, luminis aliquid afferre possimus; conabimur certe, proptereaque omnes ceteras hoc de loco quaestiones, satis ab aliis disputatas, seiungemus, et in vnam condonationis peccatorum definitionem intenti, quaeremus: quale sit, quidque complectatur hoc beneficium, cuius spem sacra Scriptura Christianis fecit?

3. Iam, si primum in disceptationem venit hoc: sitne peccatorum hominibus a Deo promissa condonatio proprie de animadver-

versionis remissione intelligenda, sic vt nullae, quae metuendae essent, poenae scelera sequantur, vel desinant eae, quas quis coeperit perferre, (illud enim virumque remissionis vocabulo continetur): facile occurrunt haec, quae contra dici posse videantur, atque spem delendarum omnium poenarum vanitatis conuincere.

4. *Principio* poenae quamplurimae ipsa natura sunt cum sceleribus ita coniunctae, vt semel admissum scelus non sequi nullo modo possint, etiamsi quem sceleris poeniteat, isque sibi a repetendo tali peccato studiosissime caueat. Semper enim is vel vno hoc vitio impediatur, quo minus tantum proficiat in virtute, quantum potuisset, si nihil admisisset istius generis. Nec, se peccasse, meminerit sine dolore; quem quidem sentiet hoc magis, quo maior eius est in Deum pietas, et amor erga alios, quibus, cum deberet cuperetque recte faciendo ad virtutis studium excitare, etiam exempli prauitate auctor similium scelerum fuit. Quod si vero peccauerit ita, vt sibi peccando morbum tabemque consciverit, permanent haec vitia corporis, nec iis poenitentia studiumque virtutis medetur, nec Deus se promisit quemque, qui se ad bonam frugem receperit, ab istis malis liberaturum. Haecenus igitur et ipsa natura et vsus vitae docet, vel nequaquam omnes poenas, verissimae poenitentiae ac fidei interuentu deleri, vel peccatorum condonationem, cuius spem nobis dedit Deus in sacris Scripturis, non esse de poenarum remissione interpretandam.

5. Vt *porro* peccatum aliud alio maius est: sic, quoniam poenae ad peccata aequabiliter referuntur, necesse est, vt, qui plus, qui grauius, qui diutius peccauerint, poenas quoque dent grauiores quam ceteri, pro modo quisque suo. Idcirco, si Deus se profitetur peccata condonaturum, non eo id potest sensu fieri, vt poenae statim omnes sublatae dicantur, foret enim tum simillima dissimillimorum hominum conditio; mitigari forte possunt

sunt supplicia, atque sic remittere dolores; cessare nullo modo, certe non statim, possunt, nisi negare velis, diuersorum hominum supplicia differre gradibus, quos et natura postulat et Sacra Scriptura planissime confirmat Matth. XI, 22. Luc. XII, 47. atque etiam alias.

6. *Praeterea*, si Deus peccantes multat eo consilio, vt corrigantur eorum mores et deterreantur a peccando, non subito redeunt ad meliorem mentem, nec liberari a poenis hactenus possunt, quod iis opus est, vt caueatur ne pergant deserere officium, aut iisdem vel maioribus peccatis auferantur. Ergo ne sic quidem, condonare peccata, potest esse, poenas aut statim aut omnino tollere; tolleretur enim id, quo Deus posset impedire et peccata et miseriam, quae delicta sequeretur, quod esset inhumanissimum nec beneficii nomine posset haberi.

7. Nec frustra *denique* fuerunt qui vererentur, ne popularis de peccatorum condonatione opinio ipsi hominum correctioni ac virtuti plurimum detrimenti afferret. Quodsi enim quis putet, quidquid peccando contractum est culpae et poenarum, id omnino poenitentia ac fide deleri, non ille profecto cautus erit ad fugienda peccata, quae, quanta quanta sint, sperat illo modo sic Dei gratia vno veluti condonationis actu deletum iri, vt nihil habeat poenarum quod pertimescat. Atque ita *et* verus ad virtutem reditus impediretur, *et*, si a flagitiis cohiberet sese, in minoribus tamen peccatis fugiendis, spe veniae, negligentior esset, ad perfectam sanctitatem beatitatemque nequaquam contenderet, qua sine contentione verum virtutis et beatitudinis studium esse non potest, *et* poenae eae, quae ipsa natura separari non possunt a delictis, ne desinerent quidem hominem persequi (§. 4.), quem tamen putant poenitentia ac fide a poenis omnibus liberatum.

8. Iam,

8. Iam, si condonatio peccatorum, cuius spem doctrina Christiana fecit, nullo modo hoc continet, ut poenae eae, quibus, qui peccavit, dignus esset, vel omnes vel statim, aut cessent, aut praetermittantur (§. 3 sq.): necesse est ut quaeratur: quae tandem, et quatenus deleantur poenae diuinae, lege ea, quam sanxit Iesu Christi disciplina? omninoque, si vel quaedam maneant, quae deleri non possint, repeti quaestionem oportet: qua alia in re quaerere illam condonationem debeamus? De quo accurate non licet decernere, nisi cognouerimus, quid nomen *poenarum* complectatur, quaeque sint *varia earum genera*, ut intelligi possit, an et quo modo locus sit poenarum remissioni.

9. Ac in poenarum quidem natura definienda non omnes consentiunt. Magno certe consensu agnoscunt, id quod etiam vsus loquendi gentium omnium confirmat: *primum* poenas esse in malis numerandas, miserumque esse quemcunque qui poenis dicatur affectus, *deinde* eas referri semper ad peccata, proptereaque poenas dici, quod et quatenus delictum quoddam sequantur. Quo fit, ut *poena* sit malum, cui quis obnoxius sit propter malefactum i. e. propterea quod officium deseruerit. Nec mala *poenae* dici possunt, si quis 1) *aut* libere non egerit h. e. si quod deliquerit, non fuerit in eius potestate, quo minus fugeret, *aut* 2) quod fecerit, non fuerit id contra officium, *aut* 3) si ea, quae contigerint, mala non propter aliquod delictum acciderint.

10. Sed in eadem quaestione, quanam sint mala, digna *poenarum* nomine, diuersas video ferri sententias, idque tripliciter; e qua tripartita quaestione, *tria* nascuntur *poenarum* genera, si quidem poenae vocabulum adhiberi debere concedatur. Namque *primum* in malo quis potest esse, quod tamen non sentiat, miser igitur sine dolore; ut sunt morborum quaedam genera,

nera, utque diu potest esse in corpore vitium negligentia contractum aut intemperantia, ante quam sentiat. Nec video, cur, si malum quod dolore vacuum est, natum sit nostra culpa, poena non debeat dici, quod quidem plerique videntur existimare, qui poenam negant sine mali cuiusdam sensu esse posse, eamque volunt esse dolorem (eine unangenehme Empfindung), qui sit propter peccatum aliquod immissus. Qui quidem videntur in hanc delati sententiam eo, quod arbitrentur, omnem constitui poenam, ut, qui peccauerit, reuocetur deterreaturque a peccando, quod fieri non posset, nisi malum istud sentiret. Quid autem, si infliguntur poenae non tam eius causa qui deliquerit, quam aliorum, ut, admoniti poena alterius, sumant exemplum sibi? veluti cum quis morte plectitur, non inferitur istud supplicium hactenus, ut is ipse deterreatur ab eodem vel simili crimine, sed ut rei publicae securitati prouideatur, aliique discant eadem malefacta vitare. Quamquam quid est, quod omne puniendi consilium, quoad eum ipsum qui peccauit, terminemus reuocatione a reperito aut continuato scelere? Dabunt mihi, ut opinor, qui contra sentiunt, in poenarum numero habenda quoque esse mala ea, quae natura e peccatis proficiscuntur. Iam poenamne dubitabimus dicere, si quis peccando fuerit in causa, cur proficere virtute tantum non possit, quantum fuisset profecturus, si vel ab illo se peccato prohibuisset? etiamsi malum istud, quod est in minore virtutis gradu, non sentiat, nec causam imperfectae virtutis in illo peccato quaerat, sed in imbecillitate aut circumscriptione naturae vel suae vel humanae vniuersae. Satis itaque videtur ad poenam esse, damnum sibi quoddam peccando consciuisse; quamquam non diffiteor, si corrigi reus puniendo debeat, damni quoque sensum siue dolorem accedere oportere.

II. Dixi-

VI. Diximus: ipsa natura quasdam cum peccatis poenas copulatas esse; qua re deferimur ad *alteram*, de qua magna dissensione contenditur, partitionem poenarum in *naturales* et *arbitrarias* vel, ut quibusdam magis placet, *positivas*. Cuius discriminis constitutione multi offenduntur, qui certe negant, uti Deum arbitrariis posse; quamquam nec ii, qui huic poenarum generi non refragantur, consentiunt, cum de utrumque declaratione quaeritur. Ac de Deo, utrum naturalibus poenis addere arbitrariis severitatem possit? postea disputabimus; ipsa autem partitio ita nobis definienda videtur. Omnis poena malum est, quod sequitur alicuius peccatum, idque *vel sua sponte*, hoc est per ipsam peccati alicuius naturam, sic, ut, hoc admisso, illud non possit non existere; *vel per punientis arbitrium*, quo fit, ut mala quaedam, quae fortuita sint, h. e. aequae accidere peccanti possent, quam non sequi peccatum, inferantur ei, qui peccauerat, ab alio, hoc quidem consilio, ut hic demonstrat, quam sibi displiceat istud peccatum. Cuius generis poenae cum ab arbitrio alicuius proficiscantur, id est, ab eius voluntate, quae sequitur cognitionem eius, quod sibi inter plura melius videtur, hactenus recte possunt *arbitrariae* appellari. Atque haud scio an mera calumnia sit, siue ex incitia siue e contendendi studio nata, si quis reprehendat istud verbum, quasi *arbitrarium* esset id, in quo nullam sequeremur certam rationem, sed coeco animi impetu ferremur. Non disiunguntur arbitraria, sensu eo, quo hic accipimus verbum, ab iis, quae sapientia diriguntur, sed ita dicuntur, quoad ea, quae cui contingant, mala non a naturae quadam necessitate fluunt et vi ipsius pravae actionis efficiuntur, sed ex arbitrio cuiusdam, ac potius consilio, pendent.

12. Sed naturalium poenarum duae iterum videntur quasi formae esse; quod non inutile est ad observandum propter eos,
B
qui

qui ad arbitrarias poenas referunt quasdam, quas dubitare non licet in naturalibus numerari debere. Nempe mala ea, quae ita sunt cum peccatis concreta, ut, his admissis, non sequi non possint, vel intus accidunt, et persequuntur hominem, vel solum, etiamsi non sit ille cum aliis vel personis vel rebus coniunctus, vel foris, atque contingere, nisi in tali coniunctione, non possunt; quas quidem externas, ut illas superiores intestinas ac domesticas, posses dicere. Quae quidem domesticae vel physicae sunt, proprieque naturales appellari merentur, ut, cum, peracto scelere, poeniteat te facti, moeroremque, aegritudinem, animique omnino tranquillitatem turbatam sentias; cum videas, negligentia aut ignavia te nihil profecisse, intemperantia labefactasse valetudinem, dolores arcessivisse, et quae sunt horum similia, vel ad mores pertinent, quos peccando corruptos sentias, ut, libidinibus te nunc imperare amplius non posse, ut, vel inuitum te ruere in perniciem, ut, magna cum difficultate, quae tua culpa exstiterit, conniti te ad virtutem, nec tantam propterea, quantam velles, assequi te posse cognoveris. Quodsi fraude tua aliorum a te voluntatem alienaueris, si imprudentia obfueris famae et honori tuo, ut negligentia aut prodigalitate facultatibus; si peruertendis aut negligendis liberorum moribus careas voluptate ea et fructu, quem capere ex eorum virtute potuisses: externa haec sunt mala, quibus te mores tui vlciscantur, quaeque eo sunt ad naturalia referenda, quod ipsam per rerum naturam nullo modo quisquam queat amare perfidum et fallacem aut laudare imprudentem, nec diuitiae possint facultatum profusione parari, nec boni fructus ac gaudia colligi e peruersis liberorum moribus.

13. *Tertia* poenarum partitio nascitur e punientis consilio, ac potius poenarum, qui possit esse, effectu. Neque enim consilium agendi esse, nisi in natura intelligente, potest; itaque, cum de poenis naturalibus quaeritur, quae sua sponte e delictis
exi-

existant, efficere illae aliquid in iis, qui puniuntur, possunt, nec tamen ratione atque consilio constitutae dici, nisi intelligatur, naturam quandam intelligentem quocumque modo, non impediendo, cum posset, poenas, aut proprie agendo, quidquam fecisse. Sed, si cum consilio animaduertendi inferuntur, quaesierunt: possintne a quoquam poenae recte ac sine iniuria repeti, sine consilio bene faciendi ei, in quem animaduertes? Quod negant permulti fieri posse, repugnantibus aliis, qui propterea discerni volunt poenas eas, quibus vlciscatur quisquam scelera, ab iis, quae disciplinae causa adhibeantur. Recte quidem, dummodo caueamus, ne in interpretando fallamur. Nam, quod multi offendantur vlciscendi verbo, existimentque, indignum esse bono, iusto aut sapiente, irae se dare vlciscendique cupidum esse, verbi fallacia est, seiungenda ab isto verbo, quod simplicem continet significationem animaduertendi; animaduerti autem potest sine iracundia, odio aut iniuria, optimo profecto animo. Nemo quidem iustus vlciscetur iniuriam hactenus tantum, ut inferat offendentem dolores, aut oblectationis causa, sed a se aliisque ut depellat nouam iniuriam; bonus etiam curabit, ut, quantum possit, non modo mitiget dolorem, sed reum etiam puniendo ad officium virtutemque reducat atque sic verissime peccanti beneficiat. Quod si tamen nullo modo possit, iusta potest esse poena et vero etiam ab amore profecta, si puniendo impediuerit, quo minus scelestus porro innocentibus noceat, aut exemplo suo alios ad imitandum prouocet; qua re cum effecerit, ut ipse iniuriosus nec angeat culpam, nec tantae multitudinis malefactorum conscientia excrucietur aliquando, non dubitari potest, talem poenam etiam in beneficiis numerandam esse.

14. His tribus poenarum generibus positis, videndum est: an Deus possit, et quatenus, his omnibus vti? itemque, an et

B. 2. quo

quo modo tollere? quo intelligatur, possitne, et qua ratione, occurri his, quae supra (§. 4 - 7.) diximus contra illam liberationem pugnare videri. Ac poenas quidem infligendas vniuersae nequaquam esse alienas a sapientia, bonitate, iustitiaque diuina, perspicuum est ex iis, quae modo disputauimus (§. 13), quibus efficiebatur, nihil impedire, quo minus cuiuscumque generis poenae in beneficiis possint esse, quod Deum vnum maxime posse ac velle, dubitationem habet nullam. Ne poenae quidam eae, quae non modo malo, sed eius quoque sensu continentur (§. 10), virtuti Dei contrariae videri possunt, si quidem illati dolores ab hoc benefaciendi animo proficiuntur. Quod si vero hominem his poenis velit liberari, non satis est, vt dolores cessent, id quod esset, mitigare poenam, non tollere, sed malum ipsum quoque oportet extinguere, cum, vel dolore seu sensu sublato, tamen homo miserrimus possit esse, vt cernitur in iis, qui non dolore quidem excruciantur, contabescunt tamen et tacita miseria sensim conficiuntur. Et, quoniam sapientissimo Dei ac benignissimo consilio poenae a peccantibus expetuntur, tum demum cessare possunt, cum satisfactum est huic consilio, hoc est, cum ad innocentiam virtutemque homo redierit, atque Deus viderit, et nihil esse aliis ab eo, qui offenderit, metuendum, et legibus aut incitamentis ad virtutem aut cautum satis esse aut cauere posse, ne ii, quibus poenae remissae sint, ad noua peccata reuertantur. Haec si quis cogitet, facile videbit, nullam vim inesse ad labefactandam poenarum remissionem illi tertio argumento, quod supra est (§. 6.) expositum.

§. 15. Paene difficilior est de naturalibus et arbitrariis poenis disputatio. De naturalibus, sunt qui dubitent, an commode a Deo immittae dicantur, cum iis non Deus videatur, sed mores cuiusque, peccata vlcisci. Neque ego diffiteor, si vel nullus esse Deus sumeretur, tamen quodque peccatum natura sua

quod in modo ut
dicitur poenas de ho.
niz faceret quid
idcirco in d. d. f. d.
naso sunt antea
sic postea per
haec videretur, vnde
si peccatorum de
de ut saluti homi
consulit, poenas
ine. Hebr. 12, 6.

in poenis aeternis
videtur imm. homi.
luti Deus consulit.

resistant cum d. d. no. 15. Paene difficilior est de naturalibus et arbitrariis poenis disputatio. De naturalibus, sunt qui dubitent, an commode a Deo immittae dicantur, cum iis non Deus videatur, sed mores cuiusque, peccata vlcisci. Neque ego diffiteor, si vel nullus esse Deus sumeretur, tamen quodque peccatum natura sua
in, mea resistant tormenta conscientiae,
de suis, huius homines damnatos non amplius
ni posse; nunquam salutem aeternam acqui-
runt, sed remaneant huius tormenta, remanebit
s. p. potius praemiorum, quae, de benedicta
conuersi in vita altera, sed poenas profiti

sua habiturum esse certas poenas, quatenus et sensum haberent homines et intelligentiam coniunctionis eius, quae est inter actiones liberas et mala ea quae malefacta, ipsa natura, sequantur, ex quo quidem intelligitur, ne eos quidem, qui Deum negant esse, poenis carere, usque a peccando deterreri posse. Sed ut sumitur, vere Deum aliquem esse, quod nemo neget cui mens sana contigit, concedendum est quoque, *primum*, vim sentiendi intelligendique, quae in nobis est, a Deo tributam esse nobis, et hactenus eum vel per pravae actionis naturam infligere peccantibus poenas, quod alias nec mala sentire possemus, nec perspicere, causam mali siue doloris esse in peccatis nostris quaerendam, quo quidem utroque si careremus, mala nulla poenarum nomen mererentur. *Accedit* hoc, cuius vel maxime rationem haberi oportet: si Deus est, qui providet rebus vniuersis, omniaque siue ad naturam proprie, siue ad mores, siue ad utrorumque coniunctionem pertinentia, temperat sapientia sua, efficere eum posse et, quoniam nihil praetermittit eorum, quae possunt ad promouendum bonum rectumque facere, certo etiam effecturum esse, ut per ipsam hanc sapientissimam rerum humanarum cum ceteris, eorumque, quae fiant, cum morum diuersitate, copulationem, et vim malorum acrius sentiant peccantes, et malorum causam ipsis in moribus suis sitam acutius videant. Quam vim providentiae diuinae copiose exponerem, nisi id alii iam dudum fecissent, nuper in primis praeclare admodum DOERLINVS, V. V. *) Equidem non ignoro, talem rerum temperationem e sapientissimo Dei arbitrio pendere, atque hactenus poenas eas, quae hoc rerum concursu acuntur, arbitrarias videri posse (§. 11): sed mala ipsa naturalia sunt, naturalis item istorum malorum et peccatorum coniunctio; itaque et ipsa haec mala, quoad poenae sunt, poenas naturales agnosci oportet. Quamquam modus is, quo Deus efficit, ut homines fortius sen-

*) *Christlicher Religionsunterricht*, Pars V. p. 99. — 101. et p. 106 — 112.

sentiant naturales poenas, nec consuetudine peccandi sensum ipsum amittant, ut clarius necessariam malorum cum culpa copulationem perspiciant, nec obliuiscantur, non casu, sed suo ipsorum vitio, illa sibi accidisse, is igitur modus, non poenae ipsae, sunt a Dei arbitrio. Neque mihi quidquam erat propositum, nisi ut confirmarem, vel naturalia mala, quae quidem peccata sequantur ex iisque, tamquam ex fonte, manent, maximo iure poenas diuinas dici posse.

16. Possuntne vero tolli hae per naturam necessariae poenae? id enim negari video et poenas eas, quae auferri possint, solis arbitrariis terminari. Quidni autem, quodam modo certe, possent, atque sic labefactari ea, quae §. 4 et 5. in contrariam sententiam dici posse videbantur? *Primum de intestinis*, quas dixi, aut *domesticis* (§. 12), facile concedo, tolli eas non omnino posse. Non profecto quidquam potest in rerum natura esse sine aliquo, quod sequatur, nec id, quod necessario sequitur, h. e. proprius istius causae effectus, alius esse generis, quam cuius erat ipsa haec, quae antecedeat, causa, nullo igitur modo, si quid mali feceris, haecenus non miser esse potes aut talis, qualis, si egisses recte, fuisses. Caue igitur, ne vel minime a legibus, id est a natura ipsa, desectas; nullum profecto est remedium contra vulnus quod tibi vel vno minuto peccato intuleris, nec illud sanari prorsus vixquam potest. Hoc dum profiteor, sane concedendum est, quidquid, recte quoque, speraueris de delendis delictorum poenis, id nequaquam culpam tuam omnemque omnino miseriam funditus tollere posse (§. 7.). Veruntamen in omni poena malum h. e. damnum ab eius sensu discerni oportet (§. 10.), quem quidem sensum, vel manente ipso malo, extinguere Deus, mitigare certe, non vno modo potest. Etenim satis constat, sensum debilitari posse et extinguui per alium contrarium eumque acriorem maioris cuius-

usdam voluptatis sensum. Fac igitur, Deum magna in eum beneficia conferre, qui a peccando ad virtutem redierit, quod quidem per summam et vim et liberalitatem Deum posse nemo dubitet: existet ex illorum bonorum copia et magnitudine talis et tantâ voluptas, vt dolor, natus e peccatorum memoria, exarescat. Quod quidem tum fiet inprimis, cum homo cognouerit, ex ipso illo peccato eximia quaedam bona emerfisse, quibus nullus futurus fuisset locus, nisi illud peccatum praecessisset, Deumque ita omnia moderatum esse ac temperasse prouidentia sua, vt eadem ipsa peccata, quae fontes multorum malorum fuissent, in fontes vberriimos longe plurium maiorumque bonorum, Deo dirigente, conuerterentur. Summo, vt hoc vtar, Paullus furore vexauerat Christianos, summo igitur dolore eum excruciat et vlciscebatur eius rei funestissima memoria. At cum vicissim in mentem venisset, quantum hac ipsa crudelitate, etiam inscius et inuitus profuisset doctrinae Christianae, quot excitasset furore suo ad dolores Christi causa constanter perferendos, quantam commendationem habuisset disciplina Christi a vi, qua suos confirmasset, a vanitate omnium consiliorum in contrariam partem, a perspicua veritate, quae vel acerrimum hostem, ipsum videlicet Paullum, in studiosissimum defensorem conuertisset, cum, inquam, haec et alia plurima recordaretur videretque, quanta esset, quamque gratuita et incredibilis beniuolentia Dei, quae ipsum vel hac ipsa iniquitatis tristi memoria in officio, modestiaque inprimis, contineret, ad remunerandum grato animo prouocaret, sensum misericordiae diuinae acueret: quidni etiam laetus agensque gratias habuisset in summis beneficiis id, quod hac via h. e. pristina iniquitate, ad tantam bonorum copiam peruenisset? Haecenus igitur deleri vel naturales, eaeque domesticae, poenae possunt, et peccata, vt sacra Scriptura loquitur, in profundissimum mare demergi.

17. Ean-



17. *Eandem vim sapientiamque Dei licet animaduertere in conuersionibus poenarum externarum, quae natura ipsa cum peccatis coniuncta intelliguntur. (§. 12. 16.)* Qui liberorum curam in educando neglexerit, quos alios, quam acerbissimos huius negligentiae fructus, per ipsam rerum naturam, exspectet? Ita tamen saepe Deus plurimarum rerum directo concursu tollit hoc quidquid metuendum esset mali, ut vel per alios, vel per eas ipsas res, liberi bonae frugi homines reddantur, neque talis pater habeat quod eorum de salute desperet et hactenus aegritudine conficiatur. Famae si tuae imprudentia aut alio quo vitio obfueris, fit saepe tamen, ut, qui posthaec tuam longe altiorem virtutem cognouerint, ita bene incipiant de te sentire, quasi tu nihil quidquam imprudentia admisisses, saepe etiam, quod imprudentia fuerat ac videbatur, sapientia consilio susceptum putent. Sic perit id malorum externorum, quod, nisi Deus moderatione sua impediuisset, grauissima poenae vim, per ipsam rei naturam, habiturum fuisset. Haec de naturalibus poenis; nunc de *arbitrariis*, iisne in homines animaduertat Deus, et quo modo vel his eos liberet? videamus.

18. Atqui poenae huiusmodi *sequuntur* quidem malefacta, cum iisdemque coniunguntur, nec tamen *nascuntur ex iis* h. e. possunt malefacta esse sine aliquo tali malo; sunt igitur euenta, quae non existerent post ea facta, nisi natura quaedam rationis particeps, cuius esset in potestate horum malorum s. dolorum effectio, vellet indignationem aliquam demonstrare suam, speraretque futurum, ut ipso hoc immisso in offendentem malo noua eius aut aliorum similia malefacta impedirentur. Enimvero poenas tales ab arbitrio Dei profectas neque indignas esse Deo, et infligi ab eo peccantibus posse, nemo audeat negare, qui eius prouidentiam rerum humanarum agnoscit, per quam fortuita h. e. natura non necessaria euenta connectere potest, ut
rei

rei publicae atque cuiusuis incolumitatem horum quoque mediorum interuentu tueatur, eundemque, qui peccauit, ad officium, quoad possit, reducat. Huius fere generis esset, cum peccantem, delicti cuiusdam animiue iniuriosi causa, praematura morte prius auferret, quam alias fuisset ablaturus; cum morbo aut incendio, quod nulla tua culpa proprie contigerit tibi, petulantiam aut auaritiam vlcisceretur tuam; cum carorum morte liberorum, quos vel peruerteris indulgentia vel peruersurus sis, gaudium tuum laetamque spem euerteret; et quae sunt eodem numero habenda; in quibus omnibus peccatum aliquod sumitur, cuius continuationem, aut repetitionem, aut imitationem Deus impedire velit malis, quae vel intermittere posset, poenisque se continere quae talibus cum peccatis ipsa natura coniuncta sint, vel pro istis malis alia arbitraria adhibere, nisi cognouisset, haec tamquam peccatorum remedia aptiora ceteris esse.

19. At istae si sumuntur poenae arbitrariae, eaeque summa Dei sapientia dignae, sane necesse est, vt, qui a malefactis hoc modo debeat deterreri, perspicue hanc malefactorum et poenarum coniunctionem cognoscere possit, et intelligere, has inflictas esse illorum malefactorum causa, aut, si iam admissa fuerint peccata, certo propter ea inflictum iri. Neque enim id e natura malorum et malefactorum ipsa potest intelligi, cum ipsa coniunctio sumatur ab arbitrio Dei profecta. Neque magis ex eo, quod statim, nulla interposita mora, talia mala delictum sequantur; nam, si quis in ipso delicto morte corripitur, audeasne dicere: hanc repentinam mortem, esse tamquam poenam delicti secutam, aut aliquo tali casu Deum significasse, quod peccauerit is, cuius actionem protinus casus ille sequebatur? cum vel innocentissimus quisque, ipso etiam eo tempore, quo rectissime agit aliquid, quod imperitis malefactum videatur, morte corripi possit. Quidni autem

C

pro-

babili coniectura colligamus ex ista malefacti et secuti casus conjunctione, hunc eius poenam agnosci debere! Primum quidem sumis delictum id esse, quod quis ante illum casum commiserit, quod si alio modo, quam e poena subsequuta, cognoueris, nihil est quod contra disputem; sed existimabam hoc quaeri: an ex isto casu intelliigi possit, quod fuerit malefactum? Sit autem sane delictum, quomodo scis, *ultum* esse Deum; hoc malo, quod accidit, idem illud delictum?

20. Sed plena est tamen sacra Scriptura exemplis huiusmodi poenarum! Audio, nec ego diffiteor, confessus sum potius, si Deus ipse declaret, secutam esse poenam vel securam aliquod malefactum, constare nobis de tali arbitraria poena posse. Neque tamen licet colligere, si quid simile hodie contigerit, ubi Dei perspicua declaratio desideretur, idem esse hoc eodem loco habendum. Quamquam non contra nitendum puto, sed laudo potius, si quis vel hoc errore aut opinione apud se vel alios utatur, ut cautior fiat cautioresque alios reddat in fugiendis peccatis, si quidem aliis probabiliter persuaderi possit, diuinitus haec coniuncta fuisse, diligenterque caueatur, ne quis diuinas poenas contemnat, cum viderit, perperam esse casum aliquem malum inter poenas relatum, qui etiam sanctissimo homini possit contingere. Ac vereor, ne multa talium poenarum exempla reperantur e sacris Scripturis, quae huius generis nequaquam putanda sint. Nam, quemadmodum sacri Scriptores multa Vet. Testamenti dicta referunt accommodando ad res similes, de quibus sic ista dicta adhibent, ut videantur in easdem res dicta, quae tamen de consilio Dei ad longe alias et diuersas pertinent; et quemadmodum, probitatis excitandae causa, uti quis alienis potest optimo consilio et magno apud aliquos fructu: quidni etiam in poenis commemorandis sacros viros ita veratos esse concedamus? Mosen quidem scimus Genes. III, 16 inducere.

ducere Deum tamquam poenam commemorantem hoc, quod Eua aut ceterae feminae pariturae sint liberos magnos inter dolores, idque dictum esse, ut de peccatis admonerentur, facile concedo; sed in poenis arbitrariis hos esse numerandos dolores, vix quisquam dixerit, qui per naturam partus ipsam secus esse non posse intellexerit. Multa sunt etiam in Scripturis narrata, quae poenae ciuiles essent inter Israelitas, aut extraordinariae in prima Ecclesiae Christianae origine, quarum similes hodie existare nemo doceat. Multa denique ex vsu vitae communis referuntur ad poenas Dei arbitrarias atque ita appellantur a quibusdam, quae verius naturales poenas dixeris, aut salubria media, quae Deus ad corrigendos homines adhibeat, quam poenas proprias, ut ea, quae sunt a nobis §. 15 commemorata et alia collecta a TOELLNERO (*in theologischen Untersuchungen* Vol. 2. Part. I. disp. VI.), cuius disputationem pro hoc poenarum genere non est necesse ut persequamur, cum, quid recte ab eo dictum sit super ea re, quidque secus, ex iis, quae diximus, facile iudicari possit.

21. Hae, si quae dantur, ex vno Dei arbitrio pendentes poenae, ut omnes ceterae, cessare non possunt, nisi eius in iis infligendis consilio satisfactum, hoc est, nisi siue his, siue aliis remediis satis cautum fuerit, ne ii, qui ita coercendi essent, aut alii, eadem vel similia peccata admittant. Qua lege ne existunt quidem, etiam si minatus sit Deus. Quomodo autem tolli possint aut mitigari, intelligitur ex iis, quae de naturalibus dicta fuere §. 16 et 17.

22. Minime autem necesse est, ut de tollendis poenis, quatenus sunt pro consilio Dei diuersae (§. 13), separatim disputemus. Cessant lege ea, qua diximus (§. 12), omnes, quae deterrendi causa adhibentur, siquidem et quatenus licet per ipsam natu-

naturam (§. 16 et 17.) Naturales enim, quae sunt de genere earum, quas intestinas siue domesticas appellabamus, demon-
strauimus penitus tolli non posse (§. 16); itemque eae, quae vno
quasi actu continentur, qualis est mors, siquidem in poenis ha-
beretur, infectae reddi nullo modo possunt. Neutrae tamen sunt
summae Dei benignitati benefaciendique studio contrariae (§. 13).
Quod enim per naturam secus esse non potest, id ne a Dei
quidem voluntate pender, omniumque mortalium stultissimi es-
sent, qui Deum hactenus accusarent aut vlciscendi studio auferri
calumniarentur.

23. Spero me satis docuisse, quod et quomodo deleantur
poenae diuinae, nec, si peccatorum condonatio quaeritur in illa
poenarum remissione, quidquam videtur recte contra hanc re-
missionem dici posse. Sed restat alia quaestio: sitne illa con-
donatio, quam sperari et expectari doctrina Iesu Christi iuber, pro-
prie id quod alias: peccatorum poenas tollere? De quo licebit
dubitare, huiusque dubitationis causas exponere, sed breui-
sime nunc quidem, cum videam longiorem me fuisse, quam
putassem.

24. Etsi autem non ignoro: sacram Scripturam saepenu-
mero permutare has formulas: condonare peccata et poenas re-
mittere, aut vnam per alteram illustrare: tamen non statim con-
sequens est, eam hoc ipso loquendi modo propriam vim et na-
turam condonationis peccatorum quasi definitionis cuiusdam sub-
tilitate declarare voluisse. Solet enim in sacris libris vsu venire
hoc, vt pars aliqua pro toto, itemque consequentia pro ante-
cedentibus, attributa quaedam pro re ipsa, ponantur, vt recte
facta pro fide, obsequium pro assensu, quo amplectimur doctri-
nam, et in similibus exemplis. Quidni igitur poenarum remis-
sio in locum condonationis peccatorum substituta posset dici in
Scrip-

Scripturis? idque hac maxime de causa, quod plerique homines, cum peccauerint, non tam factorum turpitudine moueantur, quam metu poenarum, a quibus si se liberatos audiant, satis se beatos putant esse? Ad hunc metum accommodate, quo Iudaei vel uice solebant vel maxime perturbari, atque haecenus maximam in sacrificiis vim quaerere, quidni consentaneum fuerit sapientiae ei, quae se per uniuersam sacram Scripturam planissime accommodet ad humanam imbecillitatem, haecenus et ab hoc maxime infinitam Dei gratiam commendare, quod omnes velit delere poenas, quae essent peccantibus metuendae; quamquam haec poenarum remissio aliquid sit potius, quod sequatur illam condonationem, quam proprie completatur?

25. Mihi quidem *primum* occurrunt quaedam dicta sacram Scripturarum, in his maxime locus is, qui est Rom. VIII, 33 seqq. quo perorat Paullus uniuersam disputationem de condonatione peccatorum. In quo pro his v. 33, 34. *quis accusabit amicos Dei, aut condemnabit; Deus est qui nos declarat iustos esse?* substituuntur ista v. 35. et 39: *quis nos seingat ab amore Dei et Christi?* et addit v. 37 *nihil quidquam esse rerum aduersarum, quo non simus superiores propter illum amorem.* Itemque Ebr. V, 16: *Accedamus ad thronum gratiae, ut MISERICORDIAM consequamur et gratiam h. e. ut nobis condonentur peccata, sic ut nobis opportuno tempore SVCCURRATUR*, id quod fit poenarum remissione et concessione bonorum omnium, quae a Dei liberalitate possint proficisci Praetermitto breuitatis causa elegantissimam de filio perditio parabolam Luc. XV et alia. Ex his uideretur locis posse colligi: condonationem peccatorum proprie esse in eo, quod gratiosi simus Deo, de quo tamquam Christiani optima quaeque sperare possimus. *Quodsi enim*, ut ait Paullus Rom. VIII, 32: *filium suum donauit nobis Deus, quidni cum eo donaret omnia?* Huius gratiae apud Deum, qui nec ullo a nobis

accommodate
loquendi Hebr.
אֵלֶּיךָ פִּי תִּפְתָּח וְאֵלֶּיךָ
תִּשְׁתָּחֵוּ וְאֵלֶּיךָ תִּשְׁתָּחֵוּ

Si quis de iustitia
desert contentus, de
Rom 3, 25 dico
sua peccata non
uoluntatem, sua
uoluntatem.

bis admissio peccato deterretur ab ipsa beneuolentia, *consequens* est, vt nihil nobis poenarum metuendum sit.

26. Ita potest intelligi: (placet enim hoc tamquam *aliud* pro sententia nostra argumentum addere) cur doctrina Christi *fidei*, non *poenitentiae* proprie tribuat condonationem peccatorum. Nempe, vt omnis vera beatitas duabus rebus continetur, *primum* virtute, siue eo, vt semper recte agas, *deinde*, vt de iis quae non pendeant e voluntate tua, securus esse possis, nihil quidquam te esse detrimenti capturum, quidquid etiam acciderit tibi, de qua re certus esse nullo modo potes, nisi Deum habueris tibi propitium, in cuius vnus manu sunt omnia, quae nobis possint contingere: sic, vbi deliqueris, *illa* pars tuae beatitatis non potest restaurari nisi *poenitendo* h. e. reditu ad virtutem, *haec* autem non secus, nisi *credas* Euangelii promissionibus, fore, vt propitius tibi sit Deus, nec vnumquam veluti memor peccatorum tuorum futurus. Vides igitur, cur haec Dei gratia in te infinitis modis delinquentem, *fidei* tuae tribuatur, non *recte factis*. Vera correctione tui necessario tolluntur poenae, quas infert tibi Deus; neque enim infert, nisi vt te ad illam correctionem prouocet, quo *si* contigerit, sique seruaueris istum animum, nihil porro poenis est opus. Sed de praeteritis poteris dubitare, sintne peccata tua in causa futura, vt, quoad haec olim admissa peccata, non omnino gratiosus sis Deo, itemque metuere, ne, quae, vel inuitus et impotens imprudensque magis quam malignus, in posterum admiseris inoque, auferant tibi beniuolentiam Dei. Hoc est tamen cuius certam spem tibi facit Euangelii doctrina, hoc fide suscipiendum est, cuius necessitatem, praeter *reditum* tuum ad virtutem, intelligis.

27. Hanc teneamus consolationem veraque pietate veneremur, *CARISSIMI COMMILITONES*, etiam per hos dies, quibus memoria celebratur istius temporis, quo incipiebant in primis ornari Apostoli donis iis, quibus apti redderentur ad commendandam hominibus, ut Christus iusserat Luc. XXIII, 47, *poenitentiam et condonationem peccatorum*; quod Christi dictum nos admonuit, ut illius *condonationis* veram vim breuiter illustrandam defendendamque susciperemus. P. P. in academia Halensi pridie Pentecost. d. XXVI. Maii A. C. MDCCLXXXII.



W 18

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



20 B 21, Kapsel (15) 6656



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



G. NOESSELT

P V T A T I O

EO QUID SIT:

ONARE HOMINIBVS

ENASQVE REMITTERE?

HALENSIS NOMINE SCRIPTA.



H A L A E

CHRISTIAN. HENDELII.

M D C C X C I I .

